



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

5. B. V. Maria ad Nives

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

cur, si scandala multiplicentur, si gratiæ, & virtutes abjiciantur, & vilipendantur. Ecce! Quot, & qualia damna ex vita minùs Christiana? Ut verò Deus in hoc Sacratissimo magni Dominici Ordine, tanquam in sua electa vinea zealous indies excitet operarios, contra omnia mundi vitia & scelera, recitemus *Lytanias de omnibus Sanctis*. Lucrum animarum grande Dei donum est. Non datur nisi desurfum.

Festivitas Beatissimæ, ac Intemeratæ Matris Castissimæ Virginis Mariæ ad Nives.

EXHORTATIUNCULA I.

Festum hoc, festum castarum meritum est. Cecidit nix hodie, dum calor, & æstus maximus. Sic ordinavit Maria. Ardeat cupido, inflammetur carnis prurigo! Non timeat puritatis candor, si nobis in amore Mater pulchræ dilectionis. Servavit hæc tot Virgines in carne: Servabit & nos, si constantes fuerimus in cultu, & devotione Mariæ. Casta non deseret castos.

Instructio meritoria.

Candori Virgineo si sensibus vel modicè nocuerimus, sine mora satisfaciamus fili! aut jejunandò aut in ecclesia; vel cellula per quadrantem nos abscondendò, & recolligendò; aut actum mortificationis, ac rigoris in corpore exercendò. Ter repetemus illam formulam speciosam signantes cor nostrum : *Per Sanctam, & Immaculatam Conceptionem tuam emunda corpus, & animam meam in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Inspiciamus hoc puritatis speculum : Brevè erimus sine macula.

II.

Quis Mariam non diligit, cui tota SSS. Trinitas est devotissima? Amorem, quando ò fili! probabimus & nostrum? Utique hac die? Sequamur igitur Joannem Patritium Romanum, qui destitutus omni prole, omnium suarum opum hæredem scripsit Mariam. O quàm ingeniosus est amor!

Instructio meritoria.

Sunt & nobis multa tum naturæ, tum gra-

gra-

gratiæ bona. Quis hæres eorum? Post
Deum sola Maria, Mater dignissima
Quoties igitur de hoc incidit festivitatem
per annum, toties per renovationem
nostræ votivæ formulæ corpus, & ani-
mam servitio Mariano subscribamus
hancque donationem Rhythmo illò de
votissimò claudamus: *Omni die dic Ma-
ria mea laudes anima! Ejus festa, Eju-
gesta cole devotissima &c.* Abyssus
Maria in Bonitate, & misericordia: Quo-
non deprædicet?

III.

Heu! quantam turpitudinem inve-
xit in animam fatale peccatum.
Maria, quia tota pulchra, & sine omni
macula, emundare nos vult ab ea. Jam
lactea, nivea, ac virginea nobis pandit
ubera, ut peccata nostra super nivem de-
albantur. Fili mi! quid moramur? Pro-
peremus! Bibamus! Sugamus ab ubere
Matris lac sancti pudoris. Sic tandem fi-
nis turpitudinis nostræ!

Instructio meritoria.

Sed quando? Hodie! promittendò
videlicet Beatissimæ Virgini, nos nun-
quam

quam ampliùs ex pura, & sordida, ac ve-
cordi negligentia preces Marianæ soda-
litas neglecturos, aut omissuros; quin
manè ad primum excitationis, & Ange-
licæ salutationis signum statim ex lectulo
nos provoluturos in terram, & Coeli Re-
ginam hanc primam corporis victoriã ceu
Matrem, & Magistram puritatis, & In-
nocentiæ Virginalis gloriosè veneratu-
ros. Obduratum est cor, quod amor
non emollit, & commovet Mariæ. Non
sic! non sic nobiscum! ô clemens! ô
pia! ô dulcis Virgo Maria! addamus
Cursum Marianum pro castitate perpe-
tuanda. Hæc est voluntas Mariæ, San-
ctificatio nostra.

Titulare Venerabilis Imaginis
Beatissimæ Virginis sine labe Conceptæ,
quæ mirabiliter colitur Wessof-
fonti.

EXHORTATIUNCULA I.

MAriæ sumus filii! ô quanta digni-
tas! & quidem Matris sine labe
conceptæ. O qualis gratia! Vivamus
igitur tam purè, tam sobriè, & sanctè, ut,
quot-